

commentario. Resolutio est, de necessitate sacramenti nihil esse parvulo necessarium ex parte sua, ut sit capax, quia illi sufficit voluntas et intentio Christi, per quem regeneratur: tamen ad majorem solemnitatem, et ad significandos effectus, quos baptismus habet in infantibus, utitur Ecclesia illis caeremoniis, quibus significat, parvulos velle baptizari, credere et justificari, non propriis actibus, sed voluntate sui capitis, seu totius corporis Ecclesiae. Cujus meritum dicitur etiam parvulis prodesse, non quia ratione illius justificantur, sed quia pro eis orat Ecclesia, ut sine impedimento, et baptismum accipiant, et postea suo tempore illius effectu perfruantur.

ARTICULUS X.

Utrum pueri Judaeorum vel aliorum infidelium sint invitis parentibus baptizandi (2. 2, q. 10, art. 12, et Quodlibet. 2, art. 7).

1. Ad decimum sic proceditur. Videtur, quod pueri Judaeorum vel aliorum infidelium sint baptizandi, etiam invitis parentibus. Magis enim debet homini subveniri contra periculum mortis aeternae, quam contra periculum mortis temporalis. Sed puero in periculo mortis temporalis existenti est subveniendum, etiam si parentes per malitiam contra niterentur. Ergo multo magis est subveniendum pueris, infidelium filiis, per baptismum, contra periculum mortis aeternae, etiam invitis parentibus.

2. Praeterea, filii servorum sunt servi et in potestate dominorum. Sed Judaei sunt servi, et regum et principum; et quicumque etiam alii infideles. Ergo absque omni injuria possunt principes filios Judaeorum vel aliorum servorum infidelium facere baptizari.

3. Praeterea, quilibet homo est magis Dei, a quo habet animam, quam patris carnalis, a quo habet corpus. Non est ergo injustum si pueri infidelium filii parentibus carnalibus auferantur, et Deo per baptismum consecrentur.

Sed contra est, quod in Decret. sic dicitur (dist. 45, c. de Judaeis, ex Concil. Tol. 4, cap. 55): Praecipit sancta synodus nemini leinceps ad credendum vim inferre; non enim tales invitati salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiae.

Respondeo dicendum, quod pueri infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem habent, jam, quantum ad ea quae

sunt juris divini vel naturalis, incipiunt suae potestatis esse. Et ideo propria voluntate, invitatis parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut et matrimonium contrahere. Et ideo tales licite moneri possunt et induci ad suscipiendum baptismum. Si vero nondum habent usum liberi arbitrii, secundum jus naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt. Unde etiam et de pueris antiquorum dicitur, quod salvabantur in fide parentum. Et ideo contra justitiam naturalem esset, si tales pueri invitatis parentibus baptizarentur, sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non habet hoc Ecclesiae consuetudo, quod filii infidelium, invitatis parentibus, baptizentur.

Ad 1 ergo dicendum, quod a morte corporali non est aliquis eripiendus contra ordinem juris civilis; puta si aliquis a suo iudice condemnatur ad mortem, nullus debet eum violenter a morte eripere. Unde nec aliquis debet irrumpere ordinem juris naturae, quo filius est sub cura patris, ut eum liberet a periculo mortis aeternae.

Ad 2, dicendum, quod Judaei sunt servi principum servitute civili, quae non excludit ordinem juris naturalis vel divini.

Ad 3, dicendum, quod homo ordinatur ad Deum per rationem, per quam cognoscere potest. Unde puer, antequam usum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in Deum per rationem parentum, quorum curae naturaliter subjacet, et secundum eorum dispositionem sunt circa ipsum divina agenda.

DISPUTATIO XXV.

DE BAPTISMO PARVULORUM, ET JURE AC POTESTATE BAPTIZANDI ILLOS.

In hac disputatione primum omnium declarandae sunt amplius, et confirmandae duae conclusiones a D. Thom. traditae in art. 9. Deinde agendum erit de jure servando in baptizandis his infantibus, quod D. Thom. tractat in art. 10. Nomine autem infantium in tota hac disputatione intelligimus omnes eos, qui rationis usum nunquam habuerunt, sive hoc sit propter defectum aetatis, sive propter aliud impedimentum, quale est in perpetuis amon-

tibus; nam de utrisque eadem ratio est, quantum ad negotium justificationis pertinet.

SECTIO I.

Utrum homines ante usum rationis sint capaces baptismi.

1. Hierachitarum error. — Epiphanius, haeres. 67, et August., haeres. 47, referunt Hierachitas, quorum auctor Hierax fuit, negasse parvulos pertinere posse ad regnum caelorum, quia non possunt habere ulla merita, quibus illud assequantur, nec possunt ullum certamen subire; Apostolus autem ait non fore coronandum, nisi qui legitime certaverit. Ex quo errore aperte consequi videtur, hos infantes non esse capaces baptismi, quia si non sunt capaces effectus, cur erunt sacramenti? Apertius docuit hunc errorem Petrus Brusius, et quidam Henricus; a quibus orti sunt haeretici dicti Petrobrusiani, et Henriciani, ut meminit Bern., epist. 240, et ser. 66 in Cant.; et hos postea secuti sunt Anabaptistae, ut videri potest in Prateol., lib. 4 Elenchi, n. 35, et lib. 14, n. 18; Castro, Sanderio, et aliis. Fundamentum hujus haeresis, praeter supra insinuatam, sumi potest ex verbis illis Christi, Matth. ult.: Docete omnes gentes baptizantes eos, etc., et illis Mar. ult.: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; nam ex his colligi videtur, juxta Christi institutionem et voluntatem (a qua totum hoc negotium pendet) eos tantum esse capaces baptismi et salutis, qui sunt capaces doctrinae et fidei; nam illa praecipit Christus praemitti ante baptismum; sicut ergo parvuli non sunt capaces doctrinae et fidei, ita nec baptismi. Addi praeterea potest, quod ad baptismum necessaria est intentio suscipientis; parvuli autem non sunt capaces hujus intentionis.

2. Prima conclusio: homines statim a natiuitate ex utero sunt capaces baptismi. — Primum argumentum. — Dico primo: homines post natiuitatem ex utero materno statim sunt capaces baptismi, etiamsi rationis usum non habeant. Conclusio est de fide, quae licet non sit in sacra Scriptura expressa, possunt tamen ex illa varia argumenta sumi ad eam confirmandam. Actor. enim 16, legimus baptizatum fuisse Lydiam et domum ejus; et 1 ad Cor. 4, ait Paulus, se baptizasse Stephanæ domum; nomine autem domus, tota familia intelligi solet, in qua continentur etiam in-

fantes. Et quamvis his locis non fiat eorum mentio, nec constet aliquos in illis familiis fuisse, satis tamen est esse potuisse, et locutiones Scripturae esse generales, ac neminem excludere. Nec dissimile argumentum sumitur ex ipsa institutione baptismi, et ex illis verbis Joan. 3: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto. Quibus significatur, omnem hominem, qui tingi potest aqua, sub Spiritu Sancti seu Trinitatis invocatione, posse spiritualiter renasci, atque adeo esse capax baptismi; ubi etiam ponderari solet, Christum passive potius quam active esse locutum, quia ad hanc natiuitatem spirituales nulla est simpliciter necessaria humana actio (praesertim in his, qui non sunt capaces ejus), sed sufficit passio, seu ablutio aquae in verbo vitae.

3. Secundum argumentum ex Scriptura. — Alterum argumentum ex Scriptura sumitur de circumcissione, quae fuit figura baptismi, ut dicitur ad Colos. 2; nam in lege veteri parvuli erant capaces circumcissionis, quatenus erat sacramentum legis veteris; multo ergo magis in lege nova erunt capaces baptismi, qui circumcissioni successit; nam lex gratiae benignior et universalior est, et neminem excludit ab his beneficiis, quae sunt remedia ad salutem magis, quam lex vetus. Quo argumento usus est Innocent. IV, cap. Majores, de Baptismo, et ante illum Greg. Naz., orat. 40. Quinimo in hoc generalior est baptismi quam circumcissionis institutio; nam haec dari non poterat ante octavum post natiuitatem diem; ex quo aliqui tempore Cypriani inferebant, eandem regulam in baptismo esse servandam, quos merito ipse reprehendit epist. 59, quia lex gratiae neminem prorsus excludit, cui remedia ejus applicari possint. Addit Cyprian. in circumcissione praecipuum esse expectare octavum diem, propter mysterium et significationem futurorum, quorum illa lex erat umbra; hoc autem cessavit in lege gratiae, quae veritatem continet rerum, et ad justificationem conferendam per se primo ac principaliter ordinatur. Addere etiam possumus, remedium circumcissionis fuisse difficilius et acerbius, et ideo cautum esse, ne in tenerrima aetate ante octavum diem applicaretur; quae cautio in baptismo non fuit necessaria, quoniam est facillimum remedium. Confirmare vero possumus, quia in lege naturae sacramentum omnibus infantibus etiam ante octavum diem applicari poterat, propter facilitatem et necessitatem ejus. Unde etiam

in lege veteri, si ante octavum diem infans periclitaretur, non erat remedio destitutus, sed erat capax sacramenti legis naturæ; ergo multo magis in lege nova omnes sunt capaces baptismi, per quem omnia antiqua remedia abolita sunt, ut infra videbimus.

4. *Ultimum argumentum ex Scriptura.* — Ultimo ex Scripturis colligi potest, infantes non esse incapaces salutis et gratiæ; quod Epiphan. probat primo, exemplo Hieremiæ (et idem est de Joanne Baptista); quod tamen argumentum non est efficax, quia fundatur in specialibus privilegiis; alioqui nimium probaret. Atque idem responderi posset ad exemplum, quod adducit de martyribus Innocentibus; quanquam hoc revera efficacius est; nam licet sanctificatio illa per martyrium ex privilegio sit ipsi martyrio concessa, tamen hoc privilegium est, non personale (ut sic dicam), sed generale et ordinaria lege institutum, unde si ab hac lege non excluduntur parvuli, non est cur excludantur a lege baptismi, ut incapaces salutis censeantur. Deinde adducit verba illa Christi Matth. 49, et Mar. 10: *Sinite parvulos venire ad me; talium enim est regnum cælorum.* Nam licet August., 4 Confess., cap. 49, per parvulos ibi humiles intelligat, sensu videlicet spirituali et mystico, tamen ad litteram sermo est de parvulis seu infantibus, ut dicitur Luc. 16; Hieronymus autem sua expositione hoc testimonium nobis enervat, ponderans Christum non dixisse: *Horum, sed talium, ut ostenderet (inquit) non ætatem regnare, sed mores, et his, qui similem haberent innocentiam et simplicitatem, præmium repromitti.* Et eodem modo eludi possunt plura alia testimonia, quæ ibi congerit Epiphan., ut est illud Sapient. 4: *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata, et ætas senectutis vita immaculata;* et illud: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus;* et alia, quæ ibi subjungit Sapiens; quæ non est necesse intelligi de infante ante usum rationis, sed de his, qui in juventute decedunt, cum sint justii. Nec videntur fortiora illa testimonia: *Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem;* et illud: *Laudate pueri Dominum;* et quod pueri Christo acclamabant: *Benedictus, qui venit in nomine Domini;* et illud: *Custodiens parvulos Dominus, etc.,* quanquam hæc omnia testimonia contemnenda non sint; nam ex eis satis colligi videtur, nullam ætatem excludi a regno cælorum, cum Deus omnium creator; neque per Deum stare, quomi-

nus etiam hi parvuli salvari possint, cum ipsi per se Deo non displiceant; nec ratione communis lapsus totius naturæ, Deo sint magis invisii, quam adulti. Denique Epiphanus, ponderans priora verba Christi, et quasi respondens objectioni factæ, addit: *Ne solum puerorum esse intelligeretur regnum cælorum, et non omnis ætatis, ab ipsis quidem initium facit; his vero, qui similes ipsorum sunt, largitus est, ut cum ipsis habeant hæreditatem, si enim hi, qui secundum ipsos sunt, habent regnum, quanto magis illi, qui exemplaria sunt eorum, qui secundum ipsos sunt.*

5. *Secundum argumentum principale.* — Secundo principaliter probatur hæc veritas ex universali consensu et definitione Ecclesiæ. Nam quod universa Ecclesia Catholica ita nunc in baptismo parvulorum sentiat, satis ex re ipsa constat; quod vero ita semper fuerit ab initio Ecclesiæ, præter citatos Patres, Cyprian., Nazian., Epiphan. et alios, quos sequenti sectione referam, apertissime constat ex Augustino, qui in omnibus fere libris contra Pelagianos, inde probat, esse in nobis peccatum originale, quod juxta Ecclesiæ morem etiam parvuli baptizantur in remedium peccati. Ita habet 4 de Peccat. merit., cap. 26, ubi dicit, traditionem hanc a Domino per Apostolos manasse. Idem, lib. 3, cap. 5, ubi late tractat supra citatum testimonium Cypriani; idem, lib. 4 de Baptis., cap. 24, et lib. 2 de Nuptiis, cap. 17, et lib. 10 Genes. ad lit., cap. 23, et epist. 23, 28, 57, 403 in fine, 400 per totam, et 407 post medium. Et ita etiam definierunt tempore Augustini, Concil. Milevit., cap. 2, et postea Concil. Africanum, can. 76, et habetur in cap. Placuit, de Cons., dist. 4, et Concil. Later. sub Innocent. IV, in cap. Majores, de Baptis.; Concil. Vienn., cum Clem. V, in Clem. I, § de Sum. Trinit. et fide Cathol.; Trid., sess. 5, in Decreto de Peccato orig., cap. 4, et sess. 4, can. 42 et 43. Atque idem supponitur in quodam Decreto Concil. Nicaen., quod refertur in cap. Ecclesiis, 68 dist., et in Concil. Brachar. 2, can. 7, quod habetur in cap. Placuit, 4, quæst. 4. Idem denique antiquissimi Pontifices definierunt, Innocent. I, epist. 28; Siricius, epist. 4, cap. 2; Leo, epist. 86, cap. 3.

6. *Ultimum argumentum principale.* — Ultimo est optima ratio D. Thom. sumpta ex comparatione, atque excessu gratiæ Christi ad peccatum originale ex Adam contractum; ex qua sumitur optima conjectura, seu con-

gruentia institutionis; tamen ratio a priori in ipsa institutione et voluntate Christi posita est. Pertinuit etiam hoc ad copiosam redemptionem ejus, et sufficientissimam providentiam, qua omnibus hominibus abundanter providit, unicuique juxta capacitatem suam. Item, quia sæpe infantes extreme indigent aliquo remedio, ne pereant; est autem certum, nullam aliud illis prodesse posse, secluso martyrio, ut infra videbimus; nec vero divinam misericordiam decebat, eos sine hoc remedio relinquere; cur enim, qui sine actu proprio per Adam damnati sunt, non poterunt etiam sine actu proprio per Christum salvari?

7. *Secunda conclusio.* — *Quorundam hæreticorum hujus temporis figmentum.* — *D. Thom. ratio.* — Dico secundo: ut infantes sint capaces baptismi, non est eis necessaria intentio suscipiendi baptismum, nec propria, nec parentum, vel alterius; sed sufficit illis voluntas Christi. Hæc conclusio est communis, et mihi videtur certa, quamvis non æqualiter, quoad utramque partem. Prior ergo pars est contra quosdam hæreticos hujus temporis, qui fingunt, parvulis omnibus, ut baptizari et salvari possint, divinitus accelerari usum rationis, ut et credere possint, et velle baptizari. Ita referunt Richar., art. 4 contra Wicleph, et Soto, 2 de Natura et gratia, c. 10, et Bellarmin., lib. 4 de Baptismo, cap. 40. Sed hic error summa levitate confictus est, sine ulla auctoritate, et contra omnem experientiam. Parvuli enim non sunt capaces per se seu naturaliter hujusmodi cognitionis ac liberi consensus; fingere autem miraculum, præsertim ordinaria lege omnibus concessum, est voluntarium figmentum. Rursus experientia constat, hos parvulos, cum baptizantur, motibus et signis, prout possunt, repugnare baptismi, satisque indicare, se non intelligere, quid circa illos fiat, neque in actionem illam voluntarie consentire; ita fere argumentatur August. qui hunc errorem, antequam exortus esset, impugnavit, epist. 23 et 406, et 21 de Civ. Dei, cap. 46, et lib. 22, cap. 22, et lib. 4 de Peccat. mer., cap. 23, 33 et sequentibus, et tract. 80 in Joan., ubi dicit: *Verbum fidei tantum valere in Ecclesia Dei, ut mundet infantem, nondum valentem corde credere, et ore confiteri.* Ex his ergo satis probata est illa prior conclusionis pars; nam de facto baptismus perficitur in parvulis sine propria eorum voluntate et consensu; ergo talis consensus vel intentio non

est necessaria, ut sint capaces baptismi. Item, Christus providit unicuique juxta capacitatem ejus; ergo cum parvulus non sit capax propriæ intentionis absque miraculo, non est verisimile Christum secundum ordinariam legem hujusmodi eorum consensum postulasse. Denique hic habet locum ratio D. Thom., quia infantibus applicatur (ut sic dicam) originale peccatum absque eorum consensu; ergo etiam potest applicari meritum Christi; ergo ut regenerentur in Christo per baptismum, non est necessaria propria eorum intentio. Neque in hoc valet argumentum a simili de adultis, quia, ut sæpe dictum est, Deus unicuique providet juxta capacitatem ejus; et ideo aliter adultum, quam infantem justificat; cum ergo baptismus ad primam justificationem ordinatur, aliam conditionem in adulto requirit, quam in parvulo; quod etiam in circumcissione et in sacramento legis naturæ semper locum habuit, ut in superioribus visum est.

8. *Quorundam Scholasticorum sententia.* — Posterior pars conclusionis est contra quosdam Scholasticos, qui dixerunt, in his infantibus, ut baptismus sit validus, necessariam esse voluntatem parentum suorum vel aliorum, quorum curæ commissi sunt, quia quamdiu infans non habet propriam voluntatem, voluntas parentum reputatur voluntas ejus, et ideo necesse est, ut saltem per voluntatem parentum intendat baptizari. Ita sentiunt Duran. in 4, dist. 4, quæst. 7, n. 43; et Palad., quæst. 4, n. 33; Catharin., in opusculo de infantibus Judæorum baptizandis, qui in particulari loquuntur de filiis infidelium, quos existimant non manere baptizatos, si contra voluntatem parentum baptizentur. Fortasse tamen non idem dicerent de filiis Christianorum, quia hi magis videntur esse sub cura pastorum Ecclesiæ, et ideo forte dicerent, posse illis prodesse intentionem Ecclesiæ, vel pastorum ejus, etiamsi deficeret voluntas carnalium parentum. Hæc tamen sententia falsa est, et conclusio posita est communior Theologorum, D. Thom., Soti et aliorum, quos in sect. sequentibus referemus; et sumitur ex August., epist. 23, ubi ait, esse validum baptismum illorum infantium, quos parentes infidelium offerunt baptizandos, etiamsi ipsi non intendant, ut ad vitam regenerentur æternam, sed ut sanitatem aut aliquod temporale commodum accipiant: *Non enim (inquit) illi non regenerantur, quia non ab eis hac intentione offeruntur; celebrantur enim ver eos necessaria ministeria; et infra: Offe-*

runtur quippe parvuli ad recipiendam spiritualem gratiam non tam ab ipsis, quorum gestantur manibus (quamvis et ab illis si fideles sint) quam ab universa societate Sanctorum, atque fidelium; et infra: Illud autem nolo te fallat, ut existimes, reatus vinculum ab Adam tractum aliter non posse dirumpi, nisi parvuli ad recipiendam Christi gratiam a parentibus offerantur; et postea subdit exempla, quibus confirmat, baptismum posse esse validum sine voluntate parentum. Atque idem est, etiamsi adsit contraria voluntas; nam hoc ipso, quod voluntarius consensus parentis non est necessarius ut baptismus sit validus, non potest contrarius dissensus obstare, quin baptismus datus validus sit, quia, eo dissensu non obstante, possunt applicari omnia ministeria, ut Augustinus dixit.

9. *Conclusio probatur.* — Ratio autem conclusionis est, quia nulla est auctoritas vel traditio, propter quam asseramus Christum in institutione baptismi voluisse, hanc intentionem parentum respectu filiorum esse simpliciter necessariam: quin potius oppositum colligi potest ex usu Ecclesiae, quae nunquam permisit baptismum iterari propter hunc solum defectum. Neque etiam est ratio ulla, ob quam fuerit baptismus hoc modo instituendus; nam sicut parvulus contrahit originale peccatum absque consensu proximi parentis, per solum Adae consensum, ita poterit justitiam Christi participare per voluntatem Christi, et media ab eo instituta, sine voluntate proprii parentis. Praeterea, quia in ordine ad spiritualia, et salutem animae, non semper voluntas parentis reputatur voluntas filii; alias sicut ad valorem baptismi dicitur necessaria voluntas baptismi in parente, ita ad effectum baptismi similiter exigenda esset in parente voluntas credendi, ut per eam voluntatem et fidem dicatur filius credere; atque ita filii infidelium salvari non possent. Imo etiamsi eis daretur baptismus valide, parentibus consentientibus, posset in eis non habere effectum, parentibus non credentibus. Atque pari ratione e contrario sequitur, si parvulus re ipsa baptizari non possit, ei posse prodesse ad salutem, voluntatem et dispositionem parentum, quae reputatur voluntas eorum; quae omnia sunt falsa et absurda: non ergo in his, quae ad animam spectant, voluntas patris reputatur voluntas filii; sed in his solum, quae pertinent ad naturale jus, quod pater habet in filium; cujus curae commissus est, ut ab eo educetur et instruat.

Et hac de causa, etiamsi parens offerat filium falso Deo, nihil illi nocet; et e contrario, quod parens sit baptizatus et justus, rectamque habeat voluntatem, per se non sufficit ad liberandum filium a peccato, quia in his omnibus voluntas parentis est propria et personalis; quamvis valere possit ad impetrandum a Deo aliquod bonum filio.

10. Deinde argumentum a simili, supra insinuatum contra Durandum et Paludanum, non est satis solutum. Sequitur enim, filium hominis baptizati haeretici vel schismatici, etc., si baptizetur contra voluntatem parentis, non manere baptizatum, quandoquidem voluntas parentis dicitur simpliciter necessaria, ut filius infans sit capax baptismi. Neque enim satis est dicere, hanc voluntatem veluti translata esse in Ecclesiam, et pastores ejus, tum quia fieri potest, ut Ecclesia nolit, sed potius prohibeat hujusmodi infantem baptizari, invito parente, et tamen si ab aliquo privata auctoritate baptizetur, vere ac valide baptizatus erit, ac reputabitur; tum etiam quia illud gratis dici videtur, et non satis consequenter. Nam licet interdum Ecclesia habeat jus baptizandi aliquem adultum, vel cogendi illum ad baptismum, ut in aliquibus casibus accidere potest, si tamen re ipsa adultus non consentit, quamvis Ecclesia jure suo utatur, nihilominus baptismus non erit validus; ergo similiter, quamvis Ecclesia habeat jus baptizandi hos infantes, si tamen parentes non consentiunt, baptismus non erit validus, quia juxta hanc sententiam voluntas parentis talis existimatur, respectu filii, sicut voluntas propria, respectu adulti. Tandem non fuit expediens, ut Christus institueret hunc baptismum infantum ita pendentem a voluntate seu intentione parentum, tum quia saepe est necessarium aut valde expediens, non expectare consensum parentis ad baptizandum filium extreme periclitantem, ut infra videbimus; tum etiam quia saepe parentes sunt incerti vel occulti; saepe etiam non satis constare potest de voluntate parentis, quae interdum potest esse ficta et fallax, et alioqui nulla erat causa sufficiens ad hunc institutionis modum, ut declaratum est.

11. *Ad fundamentum erroris contrarii respondetur.* — Ad fundamentum erroris contrarii, omisso errore Lutherorum jam impugnato, de actuali fide horum infantum, dicendum est, Christum in illis verbis: *Docete omnes gentes*, non tantum proposuisse id, quod simpliciter necessarium est ad valo-

rem baptismi, sed quod erat necessarium ad Ecclesiae propagationem et promulgationem Evangelii, quodque in his, qui capaces sunt, oportet fieri, ut convenienter sint dispositi ad baptismum et effectum ejus suscipiendum. Unde ulterius dicitur, tam haec verba, quam illa, *qui crediderit et baptizatus fuerit*, dicta esse de adultis, ut exponit Innocent. IV, in cap. Majores, de Baptismo; non tamen propterea excluduntur parvuli; sed fit specialis mentio adultorum, quia illis praedicandum erat Evangelium, ut illi converterentur et ad Ecclesiam venirent, secumque suos infantes afferrent. Propter quam causam dicit August. hos infantes credere per eos, per quos ad baptismum offeruntur; et lib. 3 de Liber. arb., cap. 27, ait, fidem offerentium prodesse parvulis, non quidem per modum necessariae dispositionis, sed quia per eam fit, ut eis applicetur sacramentum fidei, ut ipse explicat serm. 40 de Verbis Apostoli, et serm. 14, post medium. Unde etiam dici possunt hujusmodi infantes credere, non actu interno fidei, sed ipso opere, et susceptione baptismi; ita ut credere eis nihil aliud sit, quam fidem Christi opere ipso in baptismo profiteri. Atque ad eum modum dicuntur salvari in fide parentum, sicut supra vidimus agentes de statu legis naturae. Et eodem modo loquuntur de nostris infantibus baptizatis Dionys., Justin., Prosp. et Bernar., locis sect. seq. citandis; nam per fidem parentum intelligenda est non interior, et (ut ita dicam) personalis fides eorum, sed ipsa exterior fidei professio, quam parentes vel profitentur, vel profiteri debent. Tandem dicuntur hi parvuli credere, non actu, sed habitu; quae fides non antecedit baptismum, sed per eum infunditur. Ita Innocent. IV, dict. cap. Majores, et propterea Conc. Trid. definit, hos infantes esse proprie christianos et fideles, et August., 4 de Pecc. merit., c. 33: *Inter fideles* (inquit) *computantur et credere dicuntur, quia hoc eis acquiritur per baptismi sacramentum.*

SECTIO II.

Utrum expediat baptizare infantes christianorum filios ante rationis usum.

1. *Fundamentum.* — Quia non omnia, quae fieri possunt valide, licent aut expediunt, ideo non satis est, ostendisse, posse parvulos baptizari, nisi etiam declaremus, an id liceat, vel expediat. Et quoniam valde diversa ratio

est de filiis infidelium et christianorum, ideo de his prius dicemus, postea de reliquis. Fuit ergo quorundam haeticorum sententia, non expedire, hos infantes baptizare ante annos discretionis. Ita sentiunt Lutherani, ut moderni auctores referunt. Et in eundem errorem inclinat Ludovicus Vives in scholiis ad Augustinum, 4 de Civ. Dei, c. 27, eidemque favet Erasmus, qui praefatione in Matth. dixit, si in infantia aliqui baptizentur, cum pervenerint ad usum rationis, dandam eis esse liberam facultatem, ut vel in religione christiana permaneant, vel, si malint, aliam eligant. Et hinc potest sumi fundamentum hujus erroris, quia nemo, cum incipit ratione uti, cogendus est, ut in Christum credat; nam fides debet esse maxime libera et spontanea; ergo etiam filii christianorum non sunt hac libertate privandi; ergo non expedit eos ante rationis usum baptizare, quia vel postea cogendi sunt credere, et in catholica Ecclesia permanere, quod est contra libertatem christianam, vel, si haec libertas violanda non est, baptismus et character ejus exponuntur periculo, ut indigne tractentur et contemnantur.

2. *Prima conclusio.* — Dico primo: non solum est licitum, verum magis expediens, hos infantes baptizare antequam possint ipsi libere consentire. Est conclusio certa de fide, tradita in Trid., sess. 7, can. 43 de Bapt., ubi anathematis damnat eum, qui dixerit, praestare omitti eorum baptismum, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae. Fundamentum praecipuum sumitur ex Ecclesiae consuetudine; nam quod universa Ecclesia servat, semperque servavit in his quae ad animarum salutem spectant, non solum licitum est (cum errare non possit in moribus; regitur enim a Spiritu Sancto, qui non permittit eam errare in re tam gravi), verum etiam valde expediens. Imo etiamsi solum humanam auctoritatem spectemus, est incredibile, esse deceptos tot sanctos et sapientissimos viros, qui in omni aetate et in omni loco hujusmodi consuetudinem convenientem, et utilitati fidelium maxime opportunam semper judicarunt. Sed quod universa Ecclesia ita nunc sentiat, ex ipso usu satis patet. Quod vero semper idem senserit, constat ex veterum testimoniis. Clemens, lib. 6, Constit., c. 45, sic inquit: *Baptizate parvulos vestros, et educate eos in disciplina et praecipitis Dei.* Dionys., cap. 7 de Eccles. Hierar. alias 42, part. 3, circa eundem, contrarii erro-